

filiis cum illo communicatis , ad muros oppidi omnibus 1508  
a terræ partibus demoliendos rediit .

Inter hæc , propterea quod Aloisius Galliae rex valde se cupere ostenderat , ut in eodem , quod secum & cum republica fœdus intercedebat , Ferdinandus rex Hispaniæ particeps esset , novaque cum illo societas , iisdem tamen legibus , institueretur : res agitari cœpta hanc difficultatem habuit , ut , quoniam Senatui longum atque impeditum videbatur id , quod in priore fœdere erat , se nullam pacis conditionem , quæ plerunque in parvis temporum momentis existeret , posse a suis hostibus accipere , nisi prius , dum eant in Hispaniam tabellarii dumque redeant expectarit , caput illud Patres ita refici censebant opportere , uti qui pacem facere vellet , sociorum modo nomina insereret fœderi scribendo , ne multorum dierum itinere literis mittendis , & responsis præstolandis , occasionem pacis amitteret . veruntamen ut id regum voluntate fieret , tempus intermitti placuit , dum id sciri posset . itaque fœderis confectio in alium rejecta est diem . Contarenus classe aucta , ad quem etiam naves duas tectas Patres miserant , quæ muris se subjicere auderent , iis ab eo latere oppidi majore multo impetu percussis , ædificisque nonnullis intra urbem dirutis , Livianus parte altera perforatis dejectisque oppidi mœnibus tormentorum impulsione non intermissa , Tergestinos ad deditioñem compulerunt . itaque pridie nonas majas una cum arce oppidum receptum est , nulla conditione interposita , nisi ut militibus , qui oppidum atque arcem custodierant , recedere armatis liceret . Oppidanî , ne diriperentur , libris auri centum quinquaginta exercitui persolvendis , se suaque omnia redemerunt , Liviano & legatis procurantibus , quibus erat oppidum nobile diripi permolestum . Ejus rei literæ lætitia & gratulatione civitatem impleverunt . Livianus , Cornelius , Contarenus omnium ordinum studiis certatim laudati , quod tantam rem tam celeriter confecissent , magnam sunt ex eo virtutis atque industriæ gloriam consequuti . atque iis statim literæ a Senatu datæ sunt ,